



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

§. 3. De Psalmo Venite.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)



## §. I.

## De Initio Matutini.

I. **A**D initium Matutini semper dicitur Oratio Dominica, Salutatio Angelica, & Symbolum Apostolorum.

II. Subjungitur *Domine labia*. Et pollice formatur Crux in labijs. Tum dicitur: *DEVS in Adiutorium*; formando manu majorem Crucem, & subjungitur *Gloria Patri*, addendo in fine *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine* à Septuagesima usque ad Pascha.

III. Hi Versus semper dicuntur, excepto die Epiphaniæ, & in Officio trium ultimorum dierum Hebdomadæ Sacræ, (quod utpote extraordinarium semper in communibus Regulis exceptum volumus) & in Officio Defunctorum.

## §. II.

## De Invitorio.

I. **S**umitur ex communi Sanctorum, quodcumque dicitur Officium de Sancto, nisi proprium assignetur in proprio Sanctorum.

II. In Dominicis & Ferijs sumitur ex Officio Hebdomadario, nisi aliud in proprio de Tempore præscribatur. In Vigilijs Sanctorum sumitur ex Feria, in quam cadit Vigilia.

III. Tempore Paschali additur in fine Alleluja, tam quando integrum dicitur, quàm quando medium repetitur.

IV. Omittitur in Festo Epiphaniæ, & in Officio Defunctorum, quando non dicuntur tres Nocturni; excipitur tamen dies Commemorationis, & Depositionis defuncti, ubi dicitur Invitorium, etiamsi tantum unus Nocturnus recitetur, uti notat Gavantus *sect. 9. c. 2. num. 3.* ex Rituali Romano.

## §. III.

## De Psalmo Venite.

I. **D**icitur semper, quando Invitorium recitatur.

II. Si Invitorium sit *Venite Exultemus* (ut in Feria secunda contingit) tum post repetitionem Invitorij omittitur.



omittuntur tria prima verba Psalmi, & inchoatur ille à Verbis *Iubilemus DEO salutari nostro.*

III. A Dominica Passionis usque ad Pascha non dicitur in hoc Psalmo *Gloria Patri*, nisi in Festis occurrentibus. Invitatorium tamen perinde repetitur, atque aliàs fieri consuevit.

## §. IV.

## De Hymno.

I. IN Dominicis & Ferijs sumitur ex Officio Hebdomadario, nisi alius in proprio de Tempore præscribatur. In Festis omnibus, nisi proprius assignetur, sumitur ex communi Sanctorum. In Vigilijs sumitur ex Officio Feriæ, in quam cadunt Vigiliæ, excepta Vigilia Pentecostes, & Epiphaniæ, quæ sub ritu Semiduplici celebrantur.

II. Ultima Stropha, si Hymnus sit compositus ex dime-  
ris Jambicis, mutatur eo modo, qui in Rubricis §. 20. assignatur. In Hymno Confessorum verò loco illorum Verborum in prima Stropha: *meruit beatas scandere sedes*: si non est dies obitûs, dicitur: *meruit supremos laudis honores.* De qua mutatione sic loquitur Gavantus in Commentar. Breviar. l. 8. c. 3. n. 7. *In Translationum Festis, & quando Officia Confessorum transferuntur in aliam diem, ut in Rubricis, mutatur versus in Hymno: Iste Confessor: ut in Breviario Urbani VIII. iussu recognito, ne mendacium dicatur, quòd eo die obierint. In Hymno Laudum Confessorum non Pontificum videbatur etiam mutandus ille versus: Dies refulsit lumine, Quo sanctus hic de corpore. Sed non mutatur, quia non dicimus. Hic dies præcisè, in quo fit Officium. Contingit etiam transferri Officium à die obitûs in immediatè sequentè diem, put à à Dominica in Feriam secundam, & eo casu in primis Vesperis non est mutandus prædictus versus, quia verè eo die obiit. Infra Octavam verò dicitur, ut in Festo, quia, ut sæpe dixi, tota Octava est velut unus, idèmq; dies, Octava scilicet Festi, non autem Octava dierum mensis, intra quem translatum Festum continet celebrari, quod bene nota. Hucusque Gavantus, cui tamen Recentior quidam, & in Rubricis optimè versatus Rubricista acriter se opposuit, & privato scripto fusè pro-*